
N. Calenus.
Parentalia
Ernesto Ludovico, Stetini
&c. duci.
Gryphisw., 1592.

30 2,-167
DA

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

30:2,-167 4°
(LN bis 230)
DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Parentalia


ILLVSTRISSIMO ET LAVDATISSIMO PRINCIPI DOMINO Dn. ERNESTO LVDOVICO, STETINI POmeraniæ, Caſſubiorum & Henetorum Duci, Principi Rugiæ, Comiti Caycorum, etc. pijſsimè defuncto 17. Iunij Anno 1592.

Facta, & recitata publicè

In Illuſtri Gryphiſwaldenſi Academia

à

NICOLAO CALENO I. V. Doctore & Profeſſore ibidem publico.



Hæc tibi, Gryphiades, triſtis monumenta pheretri
Muſæ, pro meritis, Dux, poſuere, tuis.

Gryphiſwaldiæ, Typis Ferberianis.
Anno 1592.

37 1.
B.2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

PARENTALIA.

SI mea, cum veſtris, habuiſſent vota, valorem
Flos Pomeraniadum, lecta corona, Ducum.
Rector Magnifice, & Proceres, decora alta Lycæi,
Tu ſimul eximiæ docta iuuenta ſpei.
Si mea cum veſtris, inquam, ſi vota valerent,
Irrita nec ventis ſi data vota forent.
Dux ERNESTE, tuæ frueretis munere vitæ.
Nosq́; tua patria perfrueremur ope.
Aſt nunc longè aliter voluerunt fata, valoris
Largiter effuſæ, nil, habuere preces.
Quid querar, ac multo lachrymarum flumine, vitæ
Perſequar humanæ fata, breuesq́; vices?
Quam cito fortunæ vitreus nitor interit, alas
Eheu, inſtabiles, quam cito Diua mouet.
Si fuit vlla vnquam vehementer cauſa dolendi,
Heu nimis ex iuſto, cauſa doloris adeſt.

Mos vetus ex veteri ritu traductus Hebræo,
Creditur & noſtris inualuiſſe ſcholis.
Heroum meritas dictis extendere laudes,
Et ſimul exequias condecorare Ducum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Legiferum Moſen ignoto funere raptum,
Iſraëlitidum Plebs populoſa gemit.
Saulem cum Ionatha, vitali lumine caſſos,
Pſalmographus vates proſequitur lachrymis.
Ioſiam Regem, poſtquam in ſua fata receſsit,
Luget, & interitum ſubdita turba dolet.
Sæpe Quirinalis funebri carmine clanxit,
Sæpe Periclæo, concio mœſta, ſtylo.
Sic prior in Bruti ſuggeſtum, funere, ſcandens
Publicola, illuſtrem vexit ad aſtra virum.

INde Patrem Patriæ meritò lugemus ademptum
Gryphiades Muſæ, hic exequialis honos.
Scilicet hæc meritis debetur gratia factis,
Nec reddi melior, nobiliorq́; poteſt.
Si quæ rapta Scholis nutritia pectora, ſi quæ
Præſidia ingenijs rapta fuere bonis.
Omnia cum violet mors, & Libitina, perennis
Sola manet, nunquam neſcia, fama, mori.
Carmine præſertim ſeclis ſacrata futuris
Fama, & in æterna luce locata, viget.

ERgo nec vlla dies, memori decus eximet æuo,
Principis ERNESTI, fama ſuperſtes erit.
Ac licet ex noſtro nequeat clareſcere verſu,
Hoc opus ingenij diuitioris erat.
Ordiar attamen, & monumentum vile rependam
Pro meritis ſummis, debita iuſta parans.

 Fallor?

FAllor? an Aonias hic cerno aſtare ſorores,
Et lachrymis caſtas immaduiſſe genas,
Haud equidem dolor, eſt exemptus, Principis alto
Pectore, quin memori mente repoſtus ineſt.
ERNEſtum repetunt lachrymis, hærentq́; ſepulcro
Illius immemores nec ſinit vlla dies,
Manibus, ô ſi quis ſupereſt tellure recluſis
Senſus, is euigilans audiat iſta precor
Hauriat extremos, recitatum carmen, honores
Dona nec hæc faciat quantulacunq́; leui.
Sed fruſtrà manes, inamœnaq́; regna fatigo
Votis, quin fieri hoc pagina ſacra vetat.
Ebria delitijs mens eſt cœleſtibus, vni
Intenta eſt Chriſto, cœlica parta quies.
Tu lætus Superûm conſpectu ERNESTE potiris,
Effugiunt curas, inferiora, tuas.
Non vis has iterum miſeras inuiſere valles
Reſpuis humanum, terrea regna, bonum.
Ad veſtras igitur rurſum nos vertimus aures,
Vos Pomeraniacæ, culmina clara, domus.
Lumina docta Scholæ, ſtudijs operata iuuentus
Auribus attentè, quæſo fauete, pijs.

PRincipio expediam infantis cunabula vitæ,
Mox ſtudium in puero, & quod iuuenile fuit.
Inde canam, curſu vitæ quæ geſta virili,
Tempore quo patriam rexit & auxit, humum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Donec, quod dederat ſpatium fortuna, peregit,
Et placida in Chriſto, morte, ſolutus obit.
Has etiam lachrymas, ſupremum in funere, munus
Suffice, da mœſtos, Calliopæa modos.
Funde ſoror triſtes Elegos, da flebile carmen
Et tua, luctiſona, deprime plectra, cheli.

IAm mille exierant, & quinquageſimus annus,
Adde quater decies, adijce quinq; ſuper.
Wolgaſti in patria vitalem luminis hauſtum
Imbibit, ingenuo ſcitus ab ore, puer.
Maſcula quæ ſoboles veniebat in ordine quarta,
Filiolos inter, Clara Marea, tuos.
Nobile Wolgaſtum, ſedes fœcunda priorum
Gryphiadum, (conſtans fert ita fama) Ducum.
Et licet oppidulum, cannis & arundine tectum
Primò, nunc varijs vrbs decorata modis.
Præcipua illa tamen laus, quod primordia vitæ
Proebuerit ducibus, gens Pomerana, tuis.
Cernis, vt ex humili, multis Illuſtribus, vrbe
Ardua natalis, ſurgat origo, ſoli.
Vix hic turrigeræ, celſis cum mœnibus, vrbi
Wolgaſto palmam præripuiſſe, datur.

FOrtunata parens, cui gratia cœlitus illa
Ceſsit, vt ad decimam, prole beata, fores.
Vota, preceſq; valent, & ſtirps longæua piorum
Creſcit inexhauſta fertilitate, Ducum.

Fœlix

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Fœlix ô nimium, quem multæ gratia prolis
Proſperat, anguſtam multiplicatq́; domum.
Non hunc dura fames premet,aut penuria cellæ,
Quin aderit larga proſperitate Deus.
Cumq́; nouis cunis benedictio creſcet opima
Lacte fluet mulctrum,nectare pocla fluent.
Non ſecus,ac oleum viduæ quæ pauit Eliam
Creuit,& aſsiduè plena lagena fuit.
Sic quoq́; ſæpè patri numeroſa prole beato
Haud vnquam vacuum cernimus eſſe penum:
In promptu cauſa eſt,cœlo fluit aureus illi
Imber,& æthereo numine diues,habet.
Sedula præſertim ſi præſto eſt vxor,& inſtar
Formicæ,partas ſeruat & auget opes.
Qualis contigerat prælustris coſta PHILIPPO
Fœmina,Saxonicæ,ſtemmate nata,domus.
Cui pater ille fuit celebris pietate Johannes
Magnanimi conſtans Cæſaris ante pedes.
Quiq́; tibi vera fuerat pietate profeſſus
Vrbe ſub AVGVſta,Carole Quinte,fidem.

PEr tot ſecla,domus Gryphonum ducta potentum,
Venerat arcta, duos nuper ad acta,Duces,
Cum Dux conſpicuus ſumma pietate PHILIppus,
Imperij Patrij proſper iniuit onus.
Dum patrias grauitate tenens molitur habenas,
Inprimis veræ relligionis amans.

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Dum ditionis opes, ac iura, decuſq; tuetur,
Commune, accreuit cum pietate, bonum.
Quin priuata etiam creuit cum prole, facultas
Aucta domus, Pagi, Prædia adaucta Duci.
Ille ſuam vxorem vitis de more videbat
Eniti partu pignora dena ſibi.
Hinc duo primæuis gnati moriuntur in annis
Maſcula, cum Nymphis, quina propago, manet.

FOelices Proceres, natorum ſi bona norint
In ſtudijs ſita ſint, commoda quanta ſacris.
Quanta ſit vtilitas morum aſſuetudine prima,
Vix dici verbis, quanta ſit iſta, poteſt.
Cera recens digitum ſequitur, quocunq; trahatur
Artificem, artifici mollis obedit hero.
Sed longo durata ſitu molleſcere neſcit,
Nec facile impreſſam concipit illa notam.
Ceruicem pueri, non magnæ eſt, flectere, molis.
Illius & morum, tingitur arte, color.
Quem ſemel â teneris, puerilis purpura mentis
Concipit, is canos hæret ad vſq; color.
Teſta, velut calido, noua, quæ deprompta, camino
Quo ſemel inficitur, ſemper is hæret odor.
Hæret, & in fibris ſuccum interioribus abdit,
Nec facilè abluitur fonte fluentis aquæ.

Hæc

HÆc Ducis, Illuſtris præuidit cura PHIlippi,
Hæc vna ante alias ſollicitudo fuit.
Sincero virides animas pietatis amore
Veſtire, ac cultis moribus imbuere.
Poſthabitis rerum tantarum ſumptibus, optat
Inprimis artes addidiciſſe bonas.
Terra ſuo vigeat proprio licet alma calore,
Et gremium Cereri ſponte det ipſa datæ.
Attamen aſſiduis niſi perrumpatur aratris,
Et raſtris, ſteriles experieris agros.
Haud ſecus ingenium, quamuis melioribus ortum
Stirpibus, & Cerebri Patria vena micet.
Ni labor accedit culturæ ſedulus, omne
In vitium præceps non remoranter abit.

HÆc, inquam, patria, meditatio, mente recurſans,
Formandam ſobolem, præcipit arte, ſuam.
Et iubet in norma virtutis ponere greſſum,
Et linguam Latio perpolijſſe ſono.
Præcipuè primam pietatis figere baſim,
Conceptam breuiter quam Catecheſis habet.
Succeſsit Patrium votum fœliciter, inde
Eſt alijs etiam cura adhibere Scholis.
Pòſt vbi prima ſatis rerum fundamina norant,
Viſere mittuntur Gryphica ſceptra Scholæ.
Præficitur morum Rector BELOVIVS, atq;
BALdaſarus RHAuus præficitur ſtudijs.

B Nobilis

Nobilis alter erat, BELI cognomine dictus,
Alter Doctoris nobile nomen habet.

INtereà charum poſtquam improba fata Parentem
Ante diem patriæ præripuere ſuæ.
Patria ter decimum ſub eo florebat in annum,
Necq; erat vllius commoditatis egens.
Mox ſoboles Heroâ ſuam reuocatur in arcem,
Vt vacet exequijs, condat & oſſa Patris.
Heu, columen Patriæ, antiſtes pietatis, aſylum
Iuſticiæ, emeritum deperis ante diem.

IAm genus Heroûm maiore incedere paſſu
Incipit, & maius concipere ingenio.
Cæſaream confert ſe Dux FRIDERICVS in aulam,
Nominis æterna laude & honore ſui.
BARnimo ERNEſtus dulci cum fratre capeſſunt
Ad ſacra Leucorei mox Heliconis, iter.
Quantus in acceſſu, ô ſuperi, fauor extitit Vrbis,
Gaudia Leucoreæ quanta fuere Scholæ.
Mirantur iuuenum concordia pectora fratrum,
Heroûmq; ſtupent membra decora Ducum.
Procedunt quoties ſacrati ad limina templi,
Aut ad Apollinei pulpita docta chori.
Turba nouenarum ſectantûm caſtra ſororum
Affluit, atq; oculos ſat ſatiare nequit.
Paſcit ad intuitum ſtupefactæ lumina mentis,
Ex quibus è multis, taliter, vnus ait-

Floreat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Floreat æternos Pomerania, floreat annos
Conſimiles profert ſi bona terra Duces.
Ilicet ingenium ERNeſti, moreſq; placebant,
Acrior & virtus creſcit honore magis.
Ilicet ERNeſto defert Academia faſces,
Et dat magnifica ſceptra regenda, manu.
Iam titulum Rectoris init, cumulatus honore,
Leucoream accumulat rurſus honore Scholam.
Hiſtoricos audit, legumq; Oracla profeſſos,
In ſacra præcipuè mens generoſa vacat.

ALtera iam cœlo vertente effluxerat æſtas,
Ad patrios reuolant frater vterq; lares.
Sumptibus inſtructis animus fert viſere Regem,
Aurea qui Clypeo lilia trina gerit.
Quid Virides Rheni tractus, quid rura Sicambri,
Belgarumq; domos, Teutoniæq; loquar?
Et quas præterea iuuit cognoſcere gentes,
Et procul externo littore ferre pedem.
Dum ſtudia, & mores hominum, geniumq; locorum
Luſtrat, clara ſuis & monumenta locis.
Talis Dulichij prudentia fertur Vlyſsis,
Vſibus aſsiduæ multiplicata viæ.

VRbs iacet, vt magni facies quæ panditur orbis,
Inſtar & immenſæ quæ regionis habet.
Nunc bello quaſſata graui, tunc nobile Muſis
Gymnaſium, veteres Pariſienſe vocant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Appulit hanc primùm cum fratre ERNeſtus in vr-
Magnificasq́; tuas, Sequana, vidit opes. (bem,
Sed quia propoſitum, attentam Doctoribus aurem
Præbere, & vacuum non remeare domum.
At tali ſtudio magis vrbs populoſior obſtet,
Diſplicet hac longas nectere in vrbe moras.
Et cum Cæſareo clareret iure BITVRgum,
Continuó húc fratres arripuere viam
Præbet vterq́; ſuis vigilem lectoribus aurem,
Inſigens animis, aurea dicta, notans.
Quæ biſidæ dictant ſinuoſa volumina legis,
Vel ſunt Hiſtoricis eruta quæq́; libris.
Vtq́; ſonare queant Gallorum puriùs hauſtam
Linguam, Præceptor diſpiciendus erat.
CLAVdius eligitur canis maturus & æuo,
Illius, hic, linguæ prima elementa dedit.
Erudijt dociles, multoq́; exercuit vſu,
Vt quaſi iam Gallus, ſciret vterq́; loqui.
Anglia quinetiam, tantus, peregrina videndi
Vndiquè te luſtant, oppida, raptat amor.
Iam peragrata ſimul Ducibus tot regna, tot vrbes,
Deniq́; Teutonici natio tota ſoli.
Poſt vbi tempus erat, patriæ diuiſio terræ
Quando inter fratres inſtituenda fuit.
Docta vetuſtatis rerum monumenta relinquunt,
Et celere in patriam præcipitatur iter.

Euen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

EVentus hominum miros, en aſpice caſus,
Quos mens nulla hominum præmeditata tulit,
Quid ſors cœca paras? aut quò fremis excita motu?
Quo iuuenem à Muſis ad fera bella trahis?
Finibus à patrijs, feſtiua à pace reducis
Ad lituos, turmas, & graue Martis opus?
Perbreue Dux Patrijs fuerat remoratus in aruis
ERNeſtus, bello Gallia tota fremit.
Liliger explicuit multa legione cohortes,
Quarum Teutonicus, pars bona, miles erat.
Imperat his conſanguineus Dux Saxo VILhelmus,
Aurato clypeus cui micat enſe grauis.
Hic quia materno deuinctus ſanguine noſtro eſt,
Attrahit in partes, ſollicitatq; Ducem.
Laudis amore ardet, flagratq; cupidine belli,
Fluctuat hinc animus. fluctuat inde vagus
Viuidus inflammat ſanguis, iuuenilis & ardor,
Corporis accendunt robora firma faces.
Nec mora, nec requies, donec ſub ſigna receptum
Militiæ attentet conſtituiſſe Ducem.
Tunc demùm pendere animi Dux incipit, anceps
Quid prius, hìc fas ſit, poſteriuſuè ſequi?
Fluctuat inſtabilis vento ceu puppis, & vndis,
Sic varijs trahitur mens agitata notis.
Donec Rector adeſt fati, grauioribus vrgens
ERNEſtum monitis, & meliora docens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

QVid moliris, ait, quid præfers prælia paci?
Extera cur patrijs regna priora putas?
Eſtne ſago ſatius cinctum, quam veſte togata,
Conſilio eſſe virum, quam valuiſſe manu?
Conſilio vis caſſa ruit, cecidere Gigantes,
Ægida dum contra Palladis arma gerunt.
Pergama nulla cadunt, prudens niſi Neſtor Achillē
Adiuuet, an non eſt Neſtor Achille prior?
Comprobat id verum, rex maximus ille Pelaſgus,
Pacificos plures Neſtoras inde petit.
I nunc & dubita, cur vates Pallada fingant
Armiſonam, & doctas cur grauet haſta manus?

DIxit, & afflauit patriæ telluris amorem
ERNESTO, ſedet huic, Patria, mente, ſalus.
Splendida militiæ iam nomina ſpernit, & optat
Ad fumum patrij poſſe redire foci.
Iàm longè mauult laribus prodeſſe paternis,
Quam vultu, caſtris, imperitare, truci.
Vt redit ergo domum, popularia mœnia plauſu
Exultant, ciues lætitiaq; fremunt.

HActenus in ſtudijs vt ſit verſatus amœnis
Dictum, nunc patriam vt rexerit, expediam.
Maius opus moueo, placidas aduertite mentes,
Carmine, quæ reſtant, exequar iſta, breui.

Vigin-

Viginti exactis, quartum proceſſit in annum,
Contigit vt patrij ſceptra tenere ſoli.
Vectus ad imperij primas moderator habenas,
Cura pij, ante alias, Principis illa fuit.
Sincera vt pietas tota ditione vigeret,
Hæreſis, & procul hinc cederet acta, nocens.
Nam ſolers animo, vigili cum mente notaret
Humanis varias rebus ineſſe vices.
Tum ſimul attendit, duplici moderamine mundum
Legibus humanis, ſacrificiſq; regi.
Imperiumq; fori fatis ita deniq; fixum,
Si ſuus & templis integer adſit honos.
At genus amborum deſcendit origine ab vna
Autoremq; ſuum iactat vtrumq; Deum.
Hinc Deus affabri poſt prima exordia mundi
Dotibus eximijs protulit ingenia:
Humani generis, flores, quorum arte peregit
Inclyta, plebeis non imitanda viris.
Vrbibus inſtituit ciuilis fœdera vitæ,
Atq; Eccleſiolæ iura ſacrata tulit.
Sic fatis excitus erat, Nimrodus vt armis
Et pariter legum, condat, amore, forum.
Hinc ſparſos ſyluis homines collegit in vrbem,
Et ſibi contiguas iuſsit habere domos.
Ille feras primùm ſolitus captare nocentes,
Hinc bellis habiles addocet eſſe viros.

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Nam ſimul ac cani capitis reuerentia Nohæ,
Et grauitas legum ſpreta iacebat humi.
Is genus indomitum, quod rapto & ſanguine viuit
Ad cultum Themidis compulit, agmen agens.
Antè feras tantum, dehinc ſœuos enſe latrones
Cœpit, & ornauit faſcibus imperium.
Talis Rex Macêdum, qui Perſica regna ſubegit,
Biblica quem celeris pingit imago Capri.
Qui quaſi tranſiliens ſaltu per maxima mundi
Climata, ſubiecit regna ſubacta ſibi.
Talis & Auguſtus, Romæ fuit ille Monarcha,
Qui Latiæ placidas condidit vrbis opes,
Sic Euangelici, contrà in moderamine regni
Primus erat Doctor filius ipſe Dei.
Intima ſenſa Patris, propria qui voce recluſit,
Atq; homini primo notificauit Adæ.
Hinc natis mox inde alijs arcana reliquit,
Tradita, perq́; manus enucleata magis
Donec ad extremum, manifeſtæ in carnis amictu
Aſtitit, & viua, dogmata, voce dedit.
Hæc iterum Vates diuino ardore repleti
Excipiunt, alios ſufficiuntq́; alijs.
Tandem cum lolium increuiſſet inutile meſsi,
Et multum, nitidæ, fecis, ineſſet aquæ
Hic, qui res hominum Deus vnus in ordine trino
Cauſa boni, æternis dirigit imperijs.

Prouidus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Prouidus, Albiacis ripis, Aquilone ſub ipſo
Conſtituit templum, & culta theatra Scholæ.
Quiq; Papæ tenebras diuina luce retectas
Arguerent, tales dat ſupereſſe viros.
LVTHErus, quorum ex numero Coryphæus, ama-
Ætherei verbi, & qui reparator erat. (tor
Huius ab inſtinctu, veri Pomerania cultus
Excutit aſſertrix, pontificale pedum
Huius ab admonitu Princeps virtute PHILIPpus
Clarus, Pontificum maximus oſor erat.
Hoc animo recolens, hoc multùm mente volutans
ERNEſtus, patrijs paſſibus ibat, ouans.
Erga ſinceram diuini lampada verbi
Mirus amor, meritis officioſus erat.
Paſtores animæ ingenti complexus amore,
Hos quacunq; poteſt parte iuuare, iuuat.
Nec reticere queo, Muſæ, dum cogito noſtræ
Quantum opis, extincto principe, perdiderint.
Communis quoties in publica commoda menſæ
Conſuluit, tenui dans alimenta gregi.
Sumptibus, heu quoties Academica vota leuabat,
Si quæ cauſa Ducis ſollicitabat opem.
Deniq; prouehere officijs contendit, egenas
Totus in hoc, Muſas demeruiſſe ſibi.

QVid nunc iuſticiam hiſtoricis annalibus addam?
Publica cum facti fama ſat eſſe queat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Conſilijs adhibere viros, pietatis amantes,
Prudentes animo, iuſticiaq́; graues.
Præſes iudicij, cauſas audire paratus,
Præſens & miſeris ſemper adeſſe reis.
Pupillis æquus, viduis ſuccurrere promptus,
Commerito ſontes ſupplicio afficere.
Cancellos quoties, iuriſq́; aſcendit in arcem,
Afflictis viduis concomitatus erat.
Et ſi fortè Ducem inclamarent ſupplice ſcripto,
Obuius his, facili percipit aure preces.

HÆc merita, inſequitur locuples acceſsio terræ,
Affluit hæredis copia diues agri.
Culta fidem faciunt, Torglouia prædia, dictis,
Prædia cunctifluo nobilitata penu.
Florida per ripas depaſcunt prata iuuenci,
Lanigeræ tondent fertile gramen oues.
Tum virides circumpandunt ſua brachia ſyluæ,
Lignaq́; dant, auidis, materiamq́; focis.
Cæde, frequens, carnis ſatiata culina ferinæ,
Haud quoq; ſquamigeri copia piſcis abeſt.
Hæc, Mukeruitiæ caderent cum ſtemmata ſtirpis,
Protinus ERNEſtum iure adiere, bona.
Prædia quid referam functi nemoroſa Draconis,
Quid Iamezau, pagum, Colleriane, tuum?
Deniq; MELLinum, cuius ſucceſsio tandem
Venit in extremo mortis agone, Duci.

Inſpe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Inſperata illi ſic nunquàm opulentia deērit,
Qui ſolet afflictis, ponere rebus opem.

QVid? quod & haud piguit media de plebe profe-
Nunquam non humiles exhibuiſſe manus. (ctis
Frons in quoſq; hilaris, non vlla ſuperbia mentis,
Quin odio huic ſummo quiſq; ſuperbus erat.
Adde, verecundo quod conſuetudinis vſu,
Exhibuit paucis iura ſodalitij.
Ianua priuati fuit interdicta cubilis,
Non niſi priuatis fas adijſſe fuit.
Hic iuuat vnius facti meminiſſe, quod inde
Vita Ducis liquido relligioſa patet.
Forte ſubintrarat quidam conclaue, precante
Principe, & æthereum ſollicitante Deum
Protinus vſq; adeo Princeps exarſit in iram,
Vt nunquam iratum videris eſſe magis?
Cauſa, quod intentum precibus turbarat, & inde
Tempora colloquij legerat apta minus.
Altera cura fuit, Patrios ornare penates,
Atq; aulam varijs ædificare locis.
Vndiq; quo ditio cultis augeſceret aruis,
Publica res etiam conſtabilita foret.
Haud ſecus, ac olim Pharijs Ioſephus in oris
Triticeas vigili mente fouebat opes.

PArs vna arcis erat miſerè conuulſa ruinis,
Qua rubet Eôo, candida, Sole, dies.

Hanc primùm aggrediens, fundamina mira locauit,
Quæ nunc oſtentant ardua tecta domus.
Cuius ſumma gerunt tales feſtigia pinnas,
Quales magnorum priſca theatra Ducum
Plurima prætereo, quæ iunctis prædia villis
Latiùs extenſis amplificauit agris.
PVDEGALE tu teſtis ades, dotaleq; LOEZA
Coniugis, hoc loquitur STOLPIA, CLEMPNOVIVM.
Splendida quæ paſsim viſuntur vt atria cultu,
Ac frontiſpicio verſicolore nitent.
Villa quid ERNESTI, quæ BRVGGENDORPIA quondam
Dicta ſuum, in quantum, ſuſtulit alta, caput.
MOLSCOVIVM teſtatur idem, teſtantur abunde
Dædala Carthaceæ tecta parata molæ.
Arte Typographica fruimur quod munere præli,
Solius ERNESTI munus habeto Ducis.
ERNESTI impenſis ſuggeſtum ſplendet ab auro,
Organa dulciſonis ſtant fabrefacta modis.
Hortos quid memorem inſtructos, quid paſcua campi
Florea, piſcinas, culta vireta, loquar?

PRincipis inde ſubit mentem labor vtilis alter,
Inducenda recens vena fluentis aquæ.
Aula carebat enim purè fluitantibus vndis,
Sordida, & ê puteis hauſta, lacuſtris erat.

Vnde

Vnde ſuborta aulæ, facies non vna malorum
Si quando incideret peſtis, & ægra lues.
Limpida vicinam ſemper quærenda per vrbem
Inq́; arcem rapidis vrbe vehenda rotis.
Sæpius antè idem fuit attentatus auitis
Patribus, & multo conſtitit ære, labor.
Sed non frugiferos vnquàm traductus in vſus,
Ars fruſtrata ſuo fine, cadebat iners.
At tandem ERNEſto curſum fortuna laboris
Fœlicem, auſpicio proſperiore, dedit.
Cernitur hinc patulos aqua per traducta, canales,
Affluere, in cunctas, quà patet aula plagas.
Sed non cuncta breui poſſum comprendere verſu
Aulæ, ſuppeditat quæ bona, ductus aquæ.

IAm mihi quanta ſeges, pertexere plura daretur,
Omnia complecti ſi modo geſta velim.
Sed quoniam præſens anguſtia temporis obſtat,
Commemoranda alijs multa relinquo, Viris.
Hic ſcopus vnus erat, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini, amare bonos, & tolerare malos.

ERumpunt lachrymæ, memori cum mente recor-
Meta nouæ noſtræ quando locata Scholæ. (dor
In præſens opus incubuit Dux pectore tanto,
Principis vt propria, ſit data meta, manu.
Terminat, in quantos ſe porrigat area tractus,
Et quo conueniat limite clauſa domus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Sed quid in annales virtutum mille relabor,
Dicere iam pactum poſtulat ordo thorum.

IAm firmata virum conſtans effecerat ætas,
Et ſpem coniugij conciliarat Hymen.
IVLIVS à Pyrgo Lunæ cui nomen auitum,
Brunoniſq; ſimul nomen, ab vrbe tenet
IVLIVS, excelſa Guelphorum ab origine cretus,
Heröum referens ſtemmata priſca Ducum
Conſortem vitæ, SOPHIAM, lectiq; iugalis
Spondet, & ERNESTI tradit inire thorum.
Ducitur Illuſtris SOPhia HEDguis, ducitur vxor,
Omninò tali digna virago viro.
Par amor, & concors animorum gratia, dulcis
Conſuetudo thori, fœderis arcta fides.
Coniugium fœlix, longè fœlicius autem
Gaudia ſi thalami continuata forent.
Connubium fœlix, & ternæ fertile prolis,
Fœminei ſexus bina, ſed vna viri.
Iam puero quæſitus erat Præceptor, in omnes
Virtutum partes, erudiendus erat.
Maſcula iam patrijs proles in paſsibus intrat,
Vtraq; maternis filia carpit iter.
Hæres iam patriæ veſtigia laudis adorat,
Suſpicit, effectu mox imitanda ſibi.
Quod poterit, faciet, præſens Deus annuat orſis,
Totius & vitæ cœpta ſecunda regat.

Filia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Filia maternis inſiſtit dotibus, &, quæ
Hæret, in exemplis, viſa fuere priùs.
Iam gener appetitur, iam dos meditata paratur,
Iam bona fœlicis ſpes ineunda thori.
Sed, quo Muſa rapis? miſceri triſtia lætis
Fas prohibet, retrò muſa reflecte gradum.

CAſibus omen ineſt humanis, omen & hoc eſt
Triſte, ſed & ſpecimen quod pietatis habet.
Tempore ab hoc, ſoror eſt, quo mitis Amelia letho
Dedita, & in tumulo ritè ſepulta patrum
Totus in hoc Princeps fuit, hæc ſententia ſedit
Vnica, perpetuò pectore fixa manens.
Scilicet, vt patrij monumenta vetuſta ſepulchri
(Ante licet varijs ſtent decorata tholis:)
Ampliet, & tractus buſtum dilatet in omnes,
Innumeri vt poſſit funeris eſſe capax.
Ipſe etenim ingreſſus buſti penetrale prioris
Vidit, & anguſtum comperit eſſe nimis.
Nec prius inceptum Princeps vrgere laborem
Deſtitit, ac operi eſt iuncta ſuprema manus.

FAllor? an hæc fuerint animi præſagia, mortis
Certa ſecuturæ? certa fuere nimis.
Inde tamen certò patuit meditatio mortis
In duce, tam longè, mente agitata prius.

Men-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Menſis erat, viridi quo lætus gramine Maius
Mitior & vernum temperat aula polum.
Sexta erat orta dies, qua primùm languidus ægro
Corpore, & affixus cœperat eſſe thoro.
Deficiunt vires paulatim, tarda trahuntur
Membra Duci, pectus tuſsis anhela quatit.
Arida febris adeſt, lentè depaſcitur artus,
Torquet, vt ardenti, membra peruſta, foco.
Inſuper accedit caput infeſtare Catarrhus
Noxius, hic furijs addita quarta ſoror.
Nam ſexcentorum eſt fons, & ſentina malorum
Præſertim arctando gutturis ora ſtruens.
Et quamuis Medici miſcentes pharmaca ſuccis
Ægroto Medicas applicuere manus.
Ille etiam aſſumpſit medicamina miſta lubenter,
Pœônia valuit plùs tamen arte malum.
Hic mirum dictu, quàm longi tœdia morbi
Æquanimis tulerit, quàm patienter onus.
Quàm placidus fuerit, quàm miti pectore, multi
Id norunt clari nobilitate, Viri.

TAndem, vbi vim morbi magis incrudeſcere ſen-(ſit
Atq; Machaôniæ frugis ineſſe parum.
Auerſum mundo, ſacris ſe dedere totum
Incipit, expendens nil niſi mente Deum.
Bis quoq; per morbum ſacratæ munere cœnæ
Chriſte, tua pauit corda refecta, dape.

Lecti-

LEcticulum interea inceſsit mutare voluptas,
Cuius vt optati poſtmodo compos erat.
Hoc, inquit, ſi fata vocant, ſi certa voluntas
Numinis, hoc lecto morbidus emoriar.
Adfuit euentus dictis, nam poſt ea viuo
Contigit haud alia ſede cubare Duci.
Aſtabat lecto diuini Paſtor Ouilis,
Confirmans ſanctam teſtificanſq; fidem.
Ipſe, ſed vt dictum, percepto munere cœnæ,
Auxerat hanc paucos funeris ante dies.
Inde, ſalutiferis vbi dat ſolatia dictis
Paſtor, & ex ſacris plurima dicta refert.
Dux prior anticipans diuini Oracula verbi,
Te ſolum, eloquitur, Chriſte benigne, peto.
Et cum Teutonica recitaret voce miniſter
Verbi, Romuleo reddit ille ſono.
(Nam quod mirandum, totius tempore morbi
Res quaſi grata Duci, verba latina loqui)
Siue hic in terris vitales carpimus auras
Siue ſumus poſitum vile cadauer humi.
Solius Domini ſumus, hoc tutore pericli
Nil erit, at potius diuitis aura lucri.

AStabant gemini generoſo ſanguine Fratres,
Solantes gemitus & pia vota Ducis.
Quos ſimul vt placidè dictis affatus amicis,
Extrema, petijt, talia, voce, pius.

Si quid diſsidij, ſi quæ diſtractio mentis
Hactenus inter nos irrequieta fuit.
Lubricus vt cunctos homines facilè abripit error,
Obruta Lethæo, ſint, precor, iſta, lacu.
Euulſa hæc penitus ſint imò pectoris hauſtu,
Offenſæ maneat nec ſuper vllus apex.
Commendatam habeāt, ſua viſcera, morte relictam
Progeniem, & veri nomine Patris, ament.
Orent, atq; Deum deuota voce precentur,
Præſentem vt faciat mortis agona breuem
Dixit, & extremum dicta, acceptaq́; ſalute
Porrexit, lachrymis, ore madente, manum.

POſt ea, progeniem, lectum iubet ante, vocari
Atq; vale dicens talia iuſſa dari.
Qui nunc Cancellos prudenti mente gubernat,
Conſilijs dandis autor & eximius:
Principis interpres, Raminæa gente creatus
Taliter aſtantem progeniem alloquitur.

CAra Ducum ſoboles, morientis imago Parentis,
Accipite hæc animis tradita iuſſa Patris.
Hoc deſiderium eſt, hæc eſt poſtrema voluntas,
Quam præſtare pio vos decet obſequio.
Principio memores venerari numina Chriſti,
Et caſta aſsiduas dicere mente preces.
Moribus, hinc veſtræ matri parere, modeſtis,
Et quod fert pietas, faſq; bonumq́;, ſequi.

Deniq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Deniq; vos inter iunctas concordia mentes
Obliget, haud odij diſtrahat vlla lues.

ASſidet his coniunx, manibus complexa maritum
Flebile quod viſu eſt, fletq; gemitq; virum.
Nulla miniſterij, quamuis ſeruilia multùm
Debita vix famulæ, defugit officia.
Vt minus attingam tua Dux præconia famæ
Virtutem pleno, quæ canit ore, tuam.
Illa tamen virtus, vel iniquo teſte probatur
In te, quæ titulum Sedulitatis habet.
Luna reuertentem tenuata retexerat orbem,
Sedula, cum nulla membra, quiete cubent.
Hæres aſsiduè lecto noctesq; diesq;,
Necq; vllos ſapido conteris ore cibos.
Non tete Cereris, non tete cura quietis
Abſtrahit à lecto coniugis, vſq; manes.
Vera loquor, teſtantur idem, quicunq; miniſtri
Auxiliatrices exhibuere manus.
Et licet ipſe premam tacitus, tamen alter, in æuum
Laudis inoblito, teſtis, honore, feret.

POſtremo licet accreſcat violentia morbi,
Corporis & robur ſubruat omne magis.
Attamen haud auris, neq; vocis perdidit vſum,
Integer & ſenſus cum ratione manet.
Donec ad extremum deceſsit Spiritus omnis
Corpore, ad æthereas, regna beata, domus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

ERgo ERNeſte iaces, columen, LVdouice, pater-
Aurea, quo, Patriæ ſecla fuere Duce. (num,
Ergo ERNeſte cadis florente ætate virili,
Principis exemplar. viuaq́; norma boni:
Quàm poteras fœlix Pomerania nuper haberi,
Cum viuente, tuus, Principe, vixit honor.
Tàm potes infœlix, hoc rurſus tempore dici,
Vltima, quo patriæ, ſuſtulit hora patrem.
Et tamen eſt aliquis, mortem patienter adempti
Qui ferat ERNeſti? & non petat ipſe mori?
Heu nimis ingratæ præſentia ſecula mentis,
Publica, quæ ſicco lumine damna vident.
Nec Patris ERNESTI caſu, nec morte mouentur,
Sed mala pro nihilo, quæ patiuntur, habent.
Ah nè tam Scythico quiſquam mihi pectore viuat,
Nec ſit tam rigidæ ruſticitatis amans.
Vt nunc non triſti premat altum corde dolorem,
Nec gemitu & largis fletibus ora riget.
Tu potiùs, quoniam propior Pomerania damno,
Qualibus ærumnis ſis onerata, vides.
Flebilis inferias ERNeſto mitte ſepulto
Et dic, has tribuo, DVX LVDOVICE tibi.
Nam cur non doleas, cur non lugubria tractes,
Cuius ob interitum non animata dolent.
Et quaſi ſentirent, prætendunt ſingula luctum,
Aſpice Naturam, triſtis & ipſa gemit.
Concaua cœleſtis iam pridem brachia Cancri
Cœperat æthereis vrere Phœbus equis.

Tor-

Torridaq́; inſtabat maturis ſolibus æſtas,
    Quando erat extremo Dux in agone ſitus.
En, quaſi lugeret, mutat natura tenorem,
    Æſtatiſq; vices, frigida ſupplet hyems.
Exſpectata ſeges demùm floreſcere cœpit,
    Meſſorum manibus iam reſecanda breui.
Quid? quod Luna caput tetrica ferrugine velans,
    Principis in morbo, deficit ægra, ſui.
Et dubitamus adhuc? iactura ne publica nobis
    Pectore ſingultus elicuiſſe queat?
Semper in ore habuit viuus, memorabile dictum,
    Cum caput eſt ſanum, non malè corpus habet.
(Nam fuit hoc illi laudato in more repoſtum
    Congrua temporibus dicta citare frequens.
Hoc quoq; fine Puer confecerat ipſe libellum,
    Qui doctrinales ſuppeditaret opes.
Aſsiduè hunc manibus triuit, multumq́; relegit,
    Codicis iſtius poſsit vt eſſe memor:)
Sed redeamus ad hoc, quod cœpimus ante referre,
    Neſcio enim quò me flebilis error agat.
Semper in ore, inquam, tenuit memorabile dictum,
    Cum caput eſt ſanum, non malè corpus habet.
Heu dolor, hoc omnes nos experientia verum
    Immenſo patriæ, nunc docet eſſe, malo.
Heu caput occubuit patriæ peramabile noſtræ,
    Hoc capite amiſſo, Patria trunca iaces.
Patria trunca iaces, oculo mutilata ſupremo,
    Patria manca iaces, exanimata iaces.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

OMinis infauſti eſt, quod abominor eſſe, quod an-
REctores nobis abſtulit iſte duos. (nus
REctorem patriæ, placida virtute regentem,
Rectoremq́; Scholæ, Gymnaſijq́; caput.
Patria natalis, nec non Academia Gryphum,
Doctorem hæc iuris perdidit, illa Ducem.
Haud coniecturis nitor, certiſsima res eſt,
Plaga ſecuturi nos manet ampla mali.
Fraudibus & bellis quaſſata Eccleſia Chriſti
Relligio rixis, diſsidijſq́; ruit.
Nunc ſimul Illyricis vbi iungitur Auſtria terris,
Et cohibent fines, Pannona regna, ſuos.
Irruit hoſtiles adducens Thracia turmas,
Confidens celeri barbarus hoſtis equo.
Neſcio, quas Patriæ triſtes inſtare ruinas,
Ah Deus, ah iræ contrahe frena tuæ.

MArmoreo interea corpus mortale ſepulchro,
Et Ducis ERNEſti molliter oſſa cubent.
Semen vt ê terris decuplo cum fœnore ſurgit,
Surgent extremo taliter oſſa die.
Spargite Pïerides ſuper vrnam ſemina lauri,
Et ſuper hunc tumulum florida ſerta date.
Thureus hìnc virtutis odor gratiſsimus halet
Cuilibet, hìnc decoris ſuauis inhalet odor.
Atq; ERNEſte tibi, buſto fragrante, cubanti
Æternum, aduenïens, perſonet, hoſpes, Aue.

Æter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Æternum ingeminet, ſalue nouus incola cœli,
Salue planta recens, intemerata poli.
Nominis interea terras tua fama pererret,
Impleat & rapidi ſolis vtramq; plagam.
Vita tua exhibeat ſpeculum virtutis in æuum,
Gloria radices poſteritatis agat.
Muſa patrem te noſtra vocat, Patremq; vocabit,
Donec Apollineo carmina melle fluent.
Sed dare plura vetant lachrymæ, Sanctiſsime Prin-
En, quod vix poſſum dicere, dico, Vale. (ceps.

STVDIOSÆ IVVENTVTI IN ILLVſtri Gryphiſwaldenſi Academia NICOLAVS CALENVS I. V. D. & Profeſſor publicus Salutem P.

MOs vetus à veteri ritu traductus Hebræo
Heroũm exequias condecorare iubet.
Legiferum Moſen non noto funere raptum
Iſraëlitidum plebs populoſa gemit.
Saulem cum Ionata vitali lumine caſſos,
Haud fictis lachrymis luget & Iſâides.
Hunc etiam morem plenum pietatis auitæ,
Muſarum comites nos retinere decet.
DVX igitur PATRIÆ ſuperis quia ceſsit ab oris,
Proh dolor, & ſeros concidit ante dies.
Carmine funereos tenui dicemus honores
Principis: Extremum munus id eſto datum.
Craſtina cum fuerit roſeis inuecta quadrigis
Aurora, & nonam traxerit hora notam.
Conuenias igitur ſtudijs operata iuuentus,
Et Ducis, extremi, teſtis, honoris ades.

Recitabitur parentatio craſtino die,
qui erit 12 Iulij, nona hora.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 230 [30:2,-167 4°]